

stioni autem *facti* eam deferant obedientiam, quæ juxta Cardin. et Theologos Baronium, Bellarm. Richel. Pallav. Petav. et Sirmondum sufficiat ex eo quod nihil dicatur, scribatur aut doceatur contrarium: sed hæc est *obsequiosum duntaxat silentium*; ergo Papa agnovit factam in subscriptione quatuor Episcoporum distinctionem inter jus et factum. Nam

R. 1^o. Agnovit Papa tum ex prima parte Declarationis, quod quatuor Episcopi pure ac simpliciter damnaverint doctrinam Jansenii in omni sensu ab Ecclesia damnato; tum ex novo et publico quatuor Episcoporum testimonio, quod uti exegit Papa, sic illi Romam miserunt his verbis: *se sincere prorsus et ad sensum in Constitutionibus Innoc. X. et Alex. VII. expressum formulæ subscripsisse*. Ac idcirco Papa acquievit, interim dissimulans circa *factum*; tum quod nosset, nihil de *facto* definitum fuisse ab INNOC. X. et ALEX. VII.; tum quod crederet, per *factum*, juxta relationem Rospigliosi Cardin., solum intelligi factum aut *personale* aut *grammaticale*. Hinc

R. 2^o. Quod tum temporis Romæ et in Gallia nomine *facti* intellectum fuerit vel *mere personale*, h. e. sensus internus et personalis Jansenii, vel *mere grammaticale*, h. e. quinque propositionum totidem verbis continentia in libro Jansenii: patet 1. ex relatione Rospigliosi n. 133. . . *prima*, quæstio, quænam illius occulta mens et cogitatio fuisset, quibusque signate verbis quinque propp. ille, Jansenius, expressisset. Hæc quæstio intra *facti* limites se tenet, quam doctiores propterea negant definitionibus fidei divinæ subjectam. 2. Ex epistolis Cleri Gallicani an. 1634. et 1636. ad INNOC. X. et ALEX. VII., in quibus observant Jansenianos ad *facti* quæstionem, h. e. ut ipsi exponunt, ad *tricas syllabarum* conatos fuisse controversiam deducere.

R. 3^o. Ex ipsis Jansenianis, qui sæpenumero pontificiam definitionem ad hanc *facti* speciem extendendam esse contendunt: *Pascalius* ep. 17., *Quesnellus*, sive auctor Præf. Apolog. pag. 86. et 87., Auctor *Apologie* panegyreos Jansenianæ pag. 12., quin et laudatus a Quesnello P. *Liberius* de Jesu, Carmelita Rom. in Colleg. de propag. in Opere: *Controversiæ dogmaticæ adversus hæreses*.

R. 4^o. Nec propterea sequitur, ut male infert Quesnellus, *divisionem* Declarationis Episc. Catal. esse mancã, eo quod unum membrum, scilicet 2^{um}, de sensu libri Jansenii, in primo membro de omni sensu ab Ecclesia damnato contineatur. Nam membrum 2^{um}, de quinque propositionum attributione libro Jansenii potuit ex dictis cum fundamento intelligi vel de sensu personali, vel de grammaticali. Imo ne, contra *leges divisionis*, unum membrum alterum includeret, debuit Catalaunensis in primo loqui de sensu *naturali*, qui est ille præcipue, unice ac nominatim damnatus; et in secundo non loqui de eodem, sed de *personali* vel *grammaticali*.

Nec dicas 2^o. Episcopus Catal. in tertia parte Declarationis affirmat, quod subscriptio quatuor Episcoporum quoad *factum* omnino sit conformis illorum in *Actis verbalibus* subscriptioni: sed de hac constat, quod factum etiam doctrinali solum exhibeat obsequiosum silentium; ergo Pontifex non potuit dissimulare quæstionem *facti*, seu *mere personalem* aut *grammaticalem*; maxime cum *Acta verbalia* omnibus nota et perspecta, a Papa et ejus in Galliis Nuntio, Bargellino, ignorari non poterant. Nam

R. 1^o. Papa ad concedendam pacem motus non fuit ex sola Declaratione Episc. Catal., sed etiam ex epistola Harlæi, in qua diserte asseritur, quatuor

Episcopos damnasse quinque propositiones in sensu Jansenii, et quia hic Illustriss. Præsul miratur, Jansenianos hucusque tandem progressos; hos non tantum obsequiosum silentium antehac semper præstitum, sed assensum mentis *facto* dogmatico præstitisse, manifeste sequitur. Adde relationem Rospigliosi, quæ n. 163. ita habet: *Visum fuisse Pontifici, ex Declaratione Episc. Catal., ex legitima fide, quam quatuor Episcopi fecerant Nuntio, suæ in scienda adjectis nominibus formula sinceritatis; eque luculentis D. Lionevi et Archi-Episcopi Rothom., aliorumque testimoniis argumentum constari longe usquequaque validius contrario quovis rumore, quem de Actis verbalibus incerti libelli et privata dissipaverant litteræ*.

R. 2^o. Falsum, quod CLEMENS IX. rumore Romam delato de *Actis verbalibus* ante pacem non reclamaverit; siquidem teste Rospigliosi n. 161. pacem cum quatuor Episcopis interea suspenderit, obfirmatus, eam nunquam concedere, *si asseruissent se nolle pro hæreticis agnoscere quinque propositiones in sensu Jansenii, quemadmodum ab Apostolica Sede fuerant damnatæ*. Si vero post pacem nec CLEMENS seu IX., seu X., nec INNOC. XI. reclamarint contra Acta verbalia etiam publicata cum plurimorum subscriptionibus, ratio est, quia vel ignorabant, vel rumorem et factam delationem vilipendebant, eo quod Romæ haberent quatuor Episcoporum subscriptiones propriis manibus signatas, uti et aliorum Episcoporum, in quibus non nisi sinceritas, perfecta obedientia, et condemnatio quinque propositionum in *omni sensu* ab Ecclesia damnato.

R. 3^o. Demum inter Declarationem quatuor Episcoporum, et *Acta verbalia* multiplex discrimen est: 1. In his damnant quinque propositiones in eo omni sensu, quem damnat Ecclesia, sed mox excipiunt sensum illum, quem vocant *doctrinam SS. Aug. et Thom. de gratia efficaci per se*, quippe in phrasi janseniana ipsummet sensum Jansenii de gratia relative per gradus necessario victrici. 2. In his *factum*, cui defertur obsequiosum silentium, non vocatur factum simpliciter, uti in declaratione, sed *factum contentum in formulario*, quod vero non est personale, sed dogmaticum, scilicet attributio sensus hæretici quinque propositionum libro Jansenii. 3. In Verballi Episcopi Alectensis legitur, quod non habetur in Declaratione: *neminem vi solius auctoritatis judiciorum Ecclesiæ teneri ad assensum circa facta, quæ respiciunt sensum auctorum aut eorum librorum*: in hoc autem uno stat totum systema silentii obsequiosi.

Nec dicas 3^o. Harlæus in epist. ad Rospigl., quæ velut commentarium est prædictæ Declarationis, asserit, quatuor Episcopos damnare quinque propositiones Jansenii, sed *tacito Janseniani sensus nomine*; ergo eas non damnarunt in omni sensu ab Ecclesia damnato.

R. Non negat Harlæus, quatuor Episcopos damnare quinque propositiones in sensu libri Jansenii, quia et ipse, uti Catalaunensis, testatur, quod absque ulla exceptione aut restrictione eas damnent in omni sensu, quo ab Ecclesia damnantur. Insuper autem *instar miraculi* habet eam subscriptionem, utpote *quam ab ipsis necdum obtinere potuerit Ecclesia*; at miraculum certe non erat illa nova subscriptio cum distinctione juris et facti, jamdum centies, ut ait Quesnellus Tom. II. Relat. de Pace Clem. IX. pag. 518. oblata, semperque rejecta. Solum proin asserit, quatuor Episcopos in Actis verbalibus non agnovisse *Jansenium* tanquam hæreticum, nec quinque propo-

tiones ceu *totidem verbis* contentas in libro Jansenii; uti et in illa epist. quaedam generatim dicta de censura librorum exponenda sunt de factis personalibus, aut dogmaticis *fide divina* credendis.

Mirum sane, quod Harlæi epistolam aperta fronte sibi adversantem Janseniani objiciant; et Harlæi quidem, quem omnes, ac præprimis Papa, probe noverant, semper alienum fuisse a partibus Jansenianorum, et subscripsisse Comitibus de an. 1660. 1661. etc., in quibus diserte statutum legitur, unumquemque teneri, intus et ex animo damnare quinque propositiones in sensu Jansenii. Ac tandem quomodo Papa sibi in animum inducere potuisset, sinceram ac perfectam secundum *omnem sensum* vocari eam subscriptionem, quæ facta fuisset cum exceptione hujus præcise sensus, qui *specifico* exprimitur ac damnatur in formulario: propter quem damnandum unice instructum fuerat formularium: et quem sensum, qui subscribit formulario, sincero animo damnare se atque rejicere, interposito solemnijuramento, publice testatur?

Nec dicas 4^o. Quatuor Episcopi subscripserunt, non sicut *Gallicani Episcopi*, sed sicut *multi Gallicani Episcopi*, nempe ii, qui jus a facto dogmatico distinxerant, inter quos sunt 19. illi Præsules, de quibus testatur tum Catalaunensis, tum ipsi illi 19. Præsules in sua ad CLEM. IX. epist., quod idem sentiant cum quatuor illis quoad sua *Mandata* circa subscriptionem: sed quatuor Episcopi in his Mandatis aperte distinxerant inter jus et factum dogmaticum, pro quo non aliud, quam silentium religiosum exigebant; ergo.

R. *Ad* 1^{um}. Falsum, quod in epist. quatuor Episcoporum Romam missa legatur, non simpliciter, sicut *Gallicani Episcopi*, sed tantum, sicut *multi Episcopi*; tum quia in Regesto Nuntii, Bargellini, asservatum ejus epist. apographum non habet *multi*: tum quia aliud exemplar, quod descriptum tenent DD. de Saint-Sulpice juxta prædictum apographum, eam vocem pariter non habet. Porro ipse Jansenianus *Apologet. Præf.* anctor pag. 57. post multa hinc et inde prolata, tandem haud obscure declarat, vocem *multi* prætermisam fuisse in eo exemplari, quod Romam missum fuerat. Demum si etiam inserta fuisset, aliud Papa exin non potuisset concludere, quam quatuor Episcopos aliis Episcopis consensisse, ad sensum epistolæ, in qua Episcopus Laudun. d'Estrées ad CLEM. IX. de quatuor Episcopis scribit: *nova, nec non sincera subscriptione aliis Episcopis consentiunt.*

R. *Ad* 2^{um}. Non hic agitur de eo, ut generaliter sciatur, quem sensum habere possit epistola 19. Episcoporum, sed quo sensu Papa eam intellexerit: si enim de *assensu mentis* eam intellexit, res pro nobis decisa est: si de silentio tantum obsequioso, evidens est, quod epistolam sic intellectam damnaverit, declarans in suis Brevibus, quod nunquam admissurus fuisset quatuor Episcoporum subscriptionem, nisi fuisset pura, simplex et sine omni restrictione, prout testatur Rospigliosus, de sui patris mente optime instructus. *Nec obstat*, quod CLEMENS IX. nusquam expresse eam 19. Episcoporum epistolam damnaverit, siquidem ad damnationem doctrinæ non requiratur, ut omnes libri nominatim, in quibus ea doctrina continetur, proscribantur: sed sufficiat, eam *universim* condemnari.

Propterea illa epistola non tam aperte loquitur de silentio obsequioso, ac prætenditur; et CLEMENS prudenter sibi poterat persuadere, quod distinctio

inter jus et factum cadat super factum *personale et grammaticale*: tum quia 19. Episcopi formulario subscripserunt pure ac simpliciter, et sine omni restrictione: tum quia idem sunt, subscribere damnationi doctrinæ libri Jansenii, et subscribere formulario sine restrictione. Utramque rationem confirmat Illustriss. de Gondrin Archiep. Senon., qui primus fuit inter illos 19. Episcopos: is autem an. 1636. in conventu Cleri edixit, *credere se obligatum in conscientia, ad subscribendum Bullæ Innoc. X. quoad damnationem quinque propositionum Jansenii in ejus libro contentarum.* Idem sensit adhuc an. 1661. 8. Jun. in Decreto quodam pronuntians, quod *quinque propositiones sint hæreticæ in sensu Jansenii, et quod hic sensus non sit sensus Augustini.* Idem sensit an. 1663. subscribens epistolæ 19. Episcoporum, quia priora sensa non revocavit. Idem ergo dicendum de reliquis 18. Episcopis, qui Senonensi uniebantur in subscriptione ejusdem epistolæ, ac pariter formulario pure et simpliciter subscripserunt.

Adde, quod 19. Episcopi tantum excluderint *fidem divinam*, non item humanam Ecclesiasticam, de qua loquitur Pereficius Archiep. Paris., uti testatur Episcopus Pontiensis, unus de illis 19. Episcopis, in epist. ad Episc. Camerac. *Injuriosum dicit, quod dicerentur in subscriptione formularii rejecisse omnem credulitatem circa factum Jansenii, siquidem alia ipsis intentio non fuerit, quam excludere necessitatem fidei divinæ decisionibus Ecclesiæ præstandæ circa facta non revelata: et cum Perefice in suo Mandato, ante nostram epistolam ad Papam et Regem, perscriberet, facto Jansenii non deberi aliam fidem, quam humanam Ecclesiasticam: neque nos, neque quatuor Episcopi vel verbo uno in nostris scriptis contradiximus Pereficio.*

Nec dicas 5^o. Si CLEMENS IX. non approbavit silentium respectuosum circa factum dogmaticum, explicari non potest, in quo pax illa CLEMENTIS IX. consistat. Nam

R. *N. seq.* Et quidem 1^o. CLEMENS IX. quatuor Episcopos non adegit ad expressam revocationem suorum Decretorum in suis Diocæsibus. Id testatur Rospigliosus, quod Bargellinus Romam scribens ad secretum concilium nuntiaverit, *videri parcendum quatuor Episcopis circa expressam abolitionem Decretorum, et urgendam duntaxat subscriptionem formularii*; et D. Lionæus spem fecerit finiendi hoc medio totam causam; Roma vero rescriptum fuerit, ut allaboret uterque pacem restituere, *posthabito retractationis consilio.* Idem testatur Cardinalis d'Estrées in Congreg. quadam coram Pontifice 1693. 4. Jun. habita, qui se illorum omnium, quæ tunc gesta fuerant, testem optimum asserebat.

2^o. Concessit Papa quatuor Episcopis formularii subscriptionem *cum explicatione magis diffusa*, ad tres quæstiones, quæ moveri poterant circa quinque propositionum attributionem libro Jansenii: videlicet 1^a. an quinque propositiones totidem verbis aut expressis aut æquivalentibus continentur in libro Jansenii? 2^a. an sensus naturalis quinque propositionum sit sensus internus Jansenii? 3^a. an sensus naturalis quinque propositionum sit sensus naturalis libri Jansenii? Cum enim Romæ et in Galliis quæstio 3^a. haberetur ceu quæstio *juris*, sed 1^a. et 2^a. ceu quæstiones *facti*: cumque Rospigliosus, post explicatam declarationem Catalaunensis, CLEMENTI retulisset, quod quatuor Episcopi decisioni Apostolicæ quoad *factum* deferant obedientiam respectus ad mentem et sensum Cardin. et Theologorum,

formulario autem pure, simpliciter, et sine quacumque restrictione subscripserint, damnantes doctrinam Jansenii in omni sensu, quem damnat Ecclesia, Papa, teste eodem Rospigl. et Harlæo tum Archiep. Paris., existimavit, sibi esse dissimulandum circa alia puncta.

3^o. Papa, non obstante quodam rumore de subscriptione minus sincera, a quatuor Episcopis exigere noluit, ut Romam mittant *Acta verbalia*; contentus interim perquisitione sui Nuntii, attestatione Episcopi Catalaunensis, litteris aliorum Episcoporum, ac demum novo et publico quatuor Episcoporum testimonio de sincera subscriptione propriis syngraphis munito.

Nec dicas 6^o. Edictum Regium de anno 1676. in castris prope Ninovam Flandrorum datum ait, quod Papa condescenderit cum Episcopis formulario subscribentibus: sed ille *condescensus* seu indulgentia Papæ non respicit factum personale aut grammaticale, circa quod semper fuit licitum pro libitu opinari; ergo factum dogmaticum. Unde *Arnaldus* Episc. Andegav., annis octo post pacem Clementis, Decretum edidit, in quo liberrime asserit, hanc pacem fundari in distinctione juris et facti, eamque turbari ab eo, qui exigat subscriptionem quoad doctrinæ damnatæ attributionem libro Jansenii; dein vero prohibet sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ subscriptionem formularii sine distinctione juris et facti, aut sub alia obedientia, quam respectuosi silentii. Nam

R. 1^o. Dictum satis, quod ille condescensus Papæ intelligendus sit de tolerantia, qua permisit Papa, quatuor Episcopos subscribere *cum expositione diffusa*, permittendo duntaxat silentium obsequiosum pro facto in mente CLEMENTIS IX. personali aut grammaticali. Esto autem semper licitum fuisse, de ejusmodi facto pro libitu opinari, non item liberum fuit, inter subscribendum inserere distinctionem ac explicationem: hæc quippe ratio subscribendi haud parum periculosa foret, cum ex ea non pauci sensum Jansenii censuræ subducere tentarent; prout reipsa contigit tempore Arnaldi Andegav.; isque ut præcaveretur abusus, latum fuit illud Edictum Regium.

R. 2^o. Si decretum Arnaldi veritate nitebatur; ut quid communis adversus illud exorta contradictio est? scilicet aliud pacis Clementinæ fundamentum noverat Francia, quam illud Arnaldinum. Et quam imprudenter Janseniani allegant illud Edictum Regium, in quo contra Jansenii defensores clare asseritur, Arnaldum Episcopum per suum Decretum manifestam erga Regias ordinationes inobedientiam exhibuisse, *eum conari suum Decretum tueri per fundamentum falsum, perniciosum et periculosum, adeo prohibendo subscriptionem formularii cum attributione doctrinæ damnatæ libro Jansenii, quo tamen modo faciendam ordinaverant Conventus Cleri, Bullæ Pontificum, litteræ patentes Regis et edictum consilii Regii.... scilicet, ut pace illa, quam pro libitu suo interpretatur, manifeste abuteretur, ad abolendum in sua diocesi formulare, et subscriptionem juxta Constitutiones Apostolicas receptas, acceptatas et publicatas per Regnum.*

R. 3^o. Quæ tamen condescendentia Papæ (verba sunt Edicti Regii) non est revocatio Bullæ, quæ præscribit formularii sub juramento subscriptionem sine facta mentione ejus interpretationis. Fuisset autem ipsum hoc Edictum revocatio Bullæ ALEX. VII, si permisisset ac approbasset silentium obsequiosum. Tandem ipsi Jansenii defensores subscriptionem cum diffusa explicatione concessam fuisse fatentur, in favorem scrupuli quorundam particu-

larium; hic vero scrupulus jam nunc sublatus est, cum permissum sit, in subscriptione formularii notare, quod *fide divina* non credas Ecclesiæ infallibilitatem circa sensum aut personalem aut grammaticalem.

Nec dicas 7^o. Arnaldus, quamvis suum decretum non revocasset, tamen ab Illustriss. Perefisio receptus est in pacem Ecclesiæ, item Moniales Portus Regii, D. Dorat Curatus etc. Idem vero Arnaldus jamdum octogenarius, et ex illis quatuor Episcopis solus ipse superstes, apud Innoc. XI. conquestus est de falsis rumoribus, quos velit Papa refellere; utpote queis ipse cum tribus aliis Episcopis pie defunctis traducatur, quod dolosa subscriptione CLEMENTEM IX. circumvenerint; cum tamen tempore CLEMENTIS IX. juxta Theologos et Consultores, quorum aliquos adhuc superstites dignetur sua Sanctitas interrogare, plus non fuerit a quatuor Episcopis postulatam, quam obsequium mentis circa dogma, et obsequiosum silentium circa factum dogmaticum. At siluit Innoc. XI., et nihil respondit Arnaldo, qui si falsum dixisset, quod quidem de Antistite magni nominis et morti proximo credi haud potest, Papa silere non debuisset.

R. 4^o. Silentium INNOCENTII XI. non tam veritatem, quam falsitatem manifestat eorum, quæ in Arnaldi epistola referebantur; quam si non confutavit Roma, prudentis œconomiae id fuit; ne scilicet pax et tranquillitas Ecclesiæ Gallicanæ, quæ a tot et tam diuturnis discordiis aliquantum respirabat, continuo turbaretur, responsum commodiori occasione reservatum est.

R. 2^o. Tametsi non asseramus, illis quatuor Episcopis fuisse animum fraudulenta formularii subscriptione circumveniendi Sedem Apost.; tamen vel ex eo quod ipsis, teste D. Valloni in quadam epist., *difficilis et ardua* fuerit subscriptio, subveritis, ne Clemens IX. eam ceu puram ac simplicem agnosceret; atque idipsum, quod timebant, reipsa contigerit; sat clare evincitur, quod ex subscriptione quatuor Episcoporum Romam missa, Papa non agnoverit, nec prudenter suspicari potuerit illam circa jus et factum distinctionem, utpote cum qua non stat simplex et pura subscriptio.

234. *Observe I.* Ubi de pace vel transactione publica agitur; publicis duntaxat instrumentis, quæ pacis conditiones enuntiant, fides adhibenda est; quidquid sit de obscuris et ambiguis quibusvis aliis actis, et privata judicis, contrahentium, pacificatoris ac paciscentium sententia; alioqui enim nihil in Republica, nihil in Ecclesia ratum foret ac fixum, omniaque fœdera, pacta et contractus nutarent, ac corruerent. Sed Brevia Apostolica de pace CLEMENTIS IX. edicunt omnia, quod quatuor Episcopi pure et simpliciter subscripserint, atque ideo unice recepti in communionem Ecclesiæ; quin et ipse CLEMENS IX. in Brevi reconciliationis ad quatuor Episcopos dato, disertis verbis testatur, se non aliis conditionibus pacem et communionem ipsis restituere, quam quia solemniter significassent, se juxta præscriptum Apostolicarum Constitutionum *sincere subscripsisse et subscribi fecisse formulario Alex. VII.*; ergo, cum non obstantibus Actis verbalibus, aut privata quacumque sententia, agendique ratione, semper tota lex viguit de pura et simplici subscriptione, nec contra diplomata Pontificia unquam reclamaverunt quatuor Episcopi, nec conquesti, quod suæ subscriptionis verba a Sede Apost. perperam intellecta aut exposita fuerint; evidens est, quod

CLEMENS XI. ex illorum subscriptione nullam agnoverit limitationem aut restrictionem.

Demum si quid ex declaratione Catalaunensis, atque ex omnibus aliis subscriptis in causa quatuor Episcoporum edictis inferri possit; id, credo, erit, quod pleraque sint *obscura et ambigua*; prout in Jansenii defensoribus semper deprehensum, et ab ipsis Jansenianis reprehensum fuit; tum a *Quesnello* non semel conquesto, quod res suo nomine non compelleretur, tum a *Gerberonio*, qui hanc scribendi agendique rationem, bonæ fidei, justitiæ, sinceritati et candori Christiano adversam, Jansenianis exprobravit.

235. *Observe II.* Permisso etiam, agnovisse CLEMENTEM IX., quod quatuor Episcopi inter jus et factum distinxerint: nihil inde evincitur in gratiam *silentii obsequiosi*. Nam 1°. CLEMENS IX. privatis Brevibus approbando illam quatuor Episcoporum distinctionem, non potuit infringere ALEXANDRI VII. publicam ac solemnem legem puræ ac simplicis subscriptionis, ab Episcopis acceptatam, auctoritate Regia munitam. 2°. Quod CLEMENS IX. privata auctoritate potuit contra constitutionem ALEX. VII., hoc ipsum certe potuit CLEMENS XI. solemnem Constitutionem contra privata Brevia CLEMENTIS IX.: sed in Bulla *Vineam Domini*, quæ ipsis fatentibus Jansenianis est iudicium Ecclesiæ irretractabile, lex ALEX. VII. jubetur ex integro servari; ergo. Demum pro invictissimo argumento sunt testimonia ipsorum et insigniorum *Jansenistarum*, qui familiaribus ad amicos litteris et colloquiis confessi sunt, nihil plane certi ex dicta CLEMENTIS IX. pace colligi posse: videlicet D. Valloni, Romæ Jansenianorum actor, in epist. ad Quesnellum 2. Jun. an. 1696.; in alia ad eundem mense Jul. ejusd. anni; idem in epist. 27. Mart. 1700. etc. Vide Tournely hic.

ARTICULUS VI.

QUE NAM SIT QUESNELLISMI HISTORIA, QUOD SYSTEMA, QUE IN ILLUM LATA SENTENTIA?

236. *Nota I.* *Quesnellismi* nomine nihil aliud intelligimus, quam *Baianismum* ac *Jansenismum*, tum accessione aliorum errorum auctum, tum majori pertinacia et Ecclesiæ contemptu defensum. Appellatur a Paschasio *Quesnello*, qui natione Gallus, patria Parisinus, natus est an. 1634. Is in Parisiensi Universitate artium studiis an. 1653. confectis, et cursu Theologico in Sorbona absoluto, an. 1653. nomen dedit Congregationi Presbyterorum Oratorii a Card. Berullo in Galliis institutæ. Sacerdotio an. 1659. initiatus, totum se dedit libris conscribendis, inter quos an. 1673. edidit opera S. LEONIS Papæ una cum scholiis et dissertationibus, quæ Romæ an. 1676. graviter prohibita fuerunt.

Ea prohibitionem irritatus, cum ex decreto in Comitibus generalibus Oratorii Gallicani an. 1678. edito, juberetur una cum cæteris formulam adversus *Baium* et *Jansenium* subscribere, renuit, neque Regis etiam imperio ad sanio rem mentem revocari potuit. Quare Parisiis excedere coactus, Aureliam se primum recepit: post, anno scilicet 1685. pœnarum metu Galliis desertis, in Belgium se contulit Bruxellas.

Hic cum *Arnaldo* factionis Jansenianæ duce latitans, per novem annos, si paucos menses excipias, quibus ambo Delphos in Hollandia, inde in Leodiensem tractum declinandi periculi causa secesserant, commoratus, auxiliarem calamum ad spargenda pro Jansenismo Opuscula, Libellos et Tractatus præbuit: ab anno autem 1694., quo *Arnaldus* decessit, Janseniani agminis jam factus antesignanus, ibidem totus incubuit ad subruendos pestilentissimis scriptis, tum Ecclesiasticorum, tum Politicorum Magistratum pro veritate Catholica conatus.

Anno 1703. cum Gabriele *Gerberon* O. S. B. Congreg. S. Mauri quidem presbytero, sed ob Jansenianam hæresin in Belgium etiam profugo detectus, captus, et per trimestre in carcere Ecclesiastico detentus fuit. Hoc postmodum Jansenianorum ope effracto, elapsus in Hollandiam decessit, ibique asylo securus ac tectus usque ad mortem suam infinita pro se et Janseniana hæresi spargere in publicum perrexit. Obiit renovata ante vitæ exitum *appellatione ad œcumenicum Concilium*, et in erroribus pertinax, gravissimis censuris Pontificiis irretitus, Amstelodami die 2. Dec. an. 1719. ætatis 85.

Characterem vitæ ipsius præbent criminationis capita, propter quæ rite probata, et in *Causa Quesnelliana* seu *Motivo juris pro Procuratore Curie Ecclesiasticæ Mechliniensis Actore contra Paschasium Quesnellum citatum et fugitivum* etc. uberius deducta, HUBERTUS a Præcipiano Mechliniensis Archiepiscopus in eum tanquam Baianismi et Jansenismi, aliorumque excessuum convictum an. 1704. tulit sententiam.

Sunt autem hæc præcipua 1. Quod formulæ a Congregatione Oratorii ad rejiciendam hæresin Jansenianam injunctæ subscribere recusavit, et Gallia deserta in Belgio Catholico, quamvis presbyter, sub veste laica latuerit.

2. Quod ibidem et in vicinia excitatis turbis, commoverit Presbyteros contra Episcopos proprios, et Clerum Batavicum adversus S. Pontificem.

3. Quod Baii dogmata renovavit, laudarique operum ejus novam editionem.

4. Quod hæresin Jansenianam propugnaverit, et scriptis suis passim inseruerit.

5. Quod Pontificiis decretis in causa Jansenii latis liberaliter detraxerit.

6. Quod scripserit esse sacrilegum et Ecclesiæ injuriosum, exigere subscriptionem formulæ ALEXAND. VII.

7. Quod adhæserit factioni Jansenianæ Ecclesiæ et Principibus rebeli, illam post Arnaldi obitum rexerit.

8. Quod in litteris factionem concernentibus passim usus fuerit cifra fictorum nominum.

9. Quod scripserit et ab intimis suis receperit litteras utrique Magistratui graviter obtrectantes.

10. Quod reimprimi et distrahi curaverit scripta a Pontificibus prohibita, et ediderit similia scripta anonyma plurima.

11. Quod præparaverit compilationem 156. opusculorum, a nata hæresi Janseniana editorum, quorum etiam plurima a Sede Apostolica fuerunt damnata.

12. Quod secreto administraverit Arnaldo ultima Sacramenta. Item ausus